



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. VI. De impedimento ex Cognatione legali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

## §. V.

## De impedimento, ex cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis est impedimentum  
1981. constitutione Ecclesie dirimens matrimonium inter conjunctos vinculo spiritualis cognationis, de qua jam egimus supra titulo 11. à n. 1087. est impedimentum juris tantum Ecclesiastici per n. 1088. & quidem perpetuum ex n. 1091. inductum est ob reverentiam, quæ à baptizatis, vel confirmatis debetur baptizanti, vel confirmanti, ac Patrinis ex n. 1088. nascitur ex folio baptismi vel confirmationis collatione & receptione. n. cit. olim triplex erat, paternitas, compaternitas, & fraternitas; inter quos olim contrahebatur compaternitas, exposuimus *n. eodem*: hodie restricta est. 1. ne à viro transfundatur in uxorem; 2. ne pariat impedimentum inter ministrum sacramenti, & Patrinus; Fraternitas autem quæ erat olim, hodie sublata est omnino per n. 1092. sicut etiam Catechismus, qui erat cognatio legalis imperfecta, ut diximus cod. Tit. & superius à n. 1949.

1982. Baptizans & levans filium Pagani, vel Judæi, non contrahit cognationem spirituales cum ejus parentibus; secus, si baptizet, vel levet filium hæretici, ex n. 1095. Patrinus baptismi per Procuratorem, contrahit hanc cognationem; non autem Procurator ex n. 1096. contrahitur à Ministro etiam Laico, non autem à Patrino ex baptismo privato in casu necessitatis, & non solenni, ex n. 1098. & seq. nec contrahitur à Patrinis, cum solæ ceremoniæ baptismi suppleantur in templo ex n. 1103.

Juxta jus antiquum unus tantum Patrinus esse debebat in Baptismo; juxta Tridentinum autem ad summum duo, unus, & una ex n. 1104. Nec plures licite admittit Parochus ex n. 1105. & 1109. nec in hoc dispensat Episcopus ex n. 1105. Si tamen plures levarent, omnes hanc cognationem contraherent n. 1109. In confirmatione autem, etiam hodie, tantum unus, vel una ex n. 1106. Patrini in Baptismo debent esse baptizati, & in confirmatione confirmati ex n. 1107. potest autem agere Patrinum quilibet fide-

lis, rationis compos, nec specialiter prohibitus, cujuscunque ætatis ex n. 1108. ad quos porro se extendat hoc impedimentum, dictum est à n. 1091.

## §. VI.

## De impedimento ex Cognatione legali.

Cognatio legalis, de qua egimus hoc libro *tit. 12. à n. 1117.* est impedimentum, Ecclesie constitutione dirimens matrimonium eâ stante contrahendum, vel contractum, inter cognatos legaliter, per n. 1119. est impedimentum juris tantum Ecclesiastici, ex n. cod. alia est perfecta, alia imperfecta per n. 1117. dividitur in tres lineas, nimirum *rectam*, quæ constituit paternitatem legalem; *lateralem*, quæ constituit Fraternitatem legalem; & *alteram*, quæ dicitur affinitas legalis. quæ porro personæ afficiantur hoc impedimento, colligi potest ex dictis à n. 1118. Prima tamen species cognationis legalis, nempe Paternitas, non extendit se ad alias personas adoptato conjunctas in linea recta, nisi quæ tempore adoptionis erant in potestate adoptati per n. 1124. & hæc cognatio legalis in linea recta, & laterali, etiam hodie impedimentum præstat de jure. Affinitas autem legalis, ex communi consensu Doctorum n. 1120. in quantum hæc cognatio præstat impedimentum dirimens inter cognatos legaliter, secundum aliquos nascitur etiam ex adoptione imperfecta, n. 1121. probabilius, ex sola perfecta, seu arrogatione. n. cod. Paternitas, & affinitas legalis præstat impedimentum perpetuum ex n. 1123. Fraternitas autem legalis, solum temporale, durante adoptione per n. 1123.

## §. VII.

## De impedimento ex cognatione carnali seu consanguinitate.

Cognatio carnalis, seu consanguinitas de qua diximus *tit. 14. à n. 1176.* est circumstantia certarum personarum ratione vinculi seu propinquitatis ortæ ab eo, quod descendant ab eodem sanguine, seu proximo stipite per carnalem propagationem, ratione cujus inter eos matrimonium